

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0052**

**0050**

**0056**

**0046**

**41**

mira ibi gesta est locus serii, et non gaudii, fletus et non  
risus, orationis et non clamoris, prostrationis et non lucta-  
tionis, poenitentiae et non petulantiae. Sed peregrini stilum  
vertunt, et in loco tam terribili timore deposito frena debitae  
maturitatis laxant, et ideo puniuntur aliqui in exemplum alio-  
rum. Nihil autem molestum accidere solet mature et devote  
se baptizantibus, sicut patet in mulieribus peregrinis, quae  
supra nos in arundinibus etiam balneantur cum pudore, si-  
lentio, devotione et cum maturitate, multo magis quam  
nos. Optassem pro illis vetulis, vulgi famam sortiri in eis  
effectum. Resert enim vulgus, quod qui in Jordane balneatur,  
ulterius non senescit, et cum hoc, quamdiu in flumine manet,  
tam diu juvenescit, ut pote, si una hora balneatur, una hora  
junior efficitur, si duabus duabus, si tribus tribus, si annum  
annum. Indiguae fuissent nostrae sociae hoc balneo LX annis  
ad recuperandam juventutem, quia fuerunt octogenariae et  
ultra. Si balneantes in Jordane non senescerent, profecto  
malum balneum esset, cum Dominus per prophetam Esaiam  
Cap. 65. dicat: puer centum annorum morietur, et maledictus  
erit. Optabile per omnia balneum esset, si invaletudinem,  
deformitatem et senectutem corporis tolleret, et mentis cani-  
tiem afferret.

Porro hanc fatuitatem vel simplicitatem multi saeculares  
habent, quod credunt, si in Jordane baptizentur, quod post  
hoc non senescant, et ideo tanto conamine laborant, ut ad  
Jordanem perveniant, et se invicem baptizant, scilicet qui in  
profundum immergunt contra secundam prohibitionem Sarra-  
cenorum.

Cum autem finis balneationis advenisset, quidam peregrini  
in amphoris, in flasconibus, in vitris hauserunt aquam de Jor-  
dane, ut secum ad patriam ferrent, contra tertiam prohibi-  
tionem Saracenorum, qui ad instinctum patronorum hoc prohi-  
buerunt, non enim sustinent navium gubernatores aquam hanc  
in navibus, quia credunt firmiter, quod naves illae, in quibus  
aliquid de aqua Jordanis est, sint infortunatae, nec habeant  
expeditam navigationem et stent in periculo, quam diu aqua  
Jordanis etiam in minima quantitate habeatur in navi. Nam  
hoc saepe vidi, quod instante periculo in mari propter

**0551**  
**1051**

**Ende**

**Anfang**

